



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Q. 2. An dispositio ad causas pias facta ab existente in Statu peccati  
mortalis, sit ei in Statu gratiæ decedenti profutura?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

182 Ad Q. 2. Dicendum est cum unanimi DD. Sensu pia legata relicta in testamento condito ab homine in Statu peccati mortalis existente, nihil testatori prodesse, sive ad beatitudinem promerendam, sive ad satisfaciendum pro pena in purgatorio luenda, quamvis in Statu gratiae decedat. Ratio prioris partis est, quia talia opera sunt opera mortua, manentque mortua; nam sicut caruerunt principio vitali, scilicet gratiae, ita absque vita perseverant, neque unquam reviviscere, hoc ipso, quod id, quod nunquam vixit, nunquam queat reviviscere. Præterea cum homo in peccato mortali existens sit inimicus, odiosus, & invitus Deo, opera ab eo in tali statu exercita nunquam possunt esse grata, & accepta Deo, & idcirco nec meritaria, nec satisfactoria. Et quamvis per poenitentiam removeatur impedimentum, seu peccatum, quod est obstaculum omnis meriti, & satisfactionis; per hoc tamen operibus prioribus mortuis nihil vitale accedit, sed manent in eo Statu, & vigore, quem prius habuerunt ante peccatum; cum ergo opera illa mortua nullam prius habuerint efficaciam, & vi- gorem respectu præmii, & Satisfactionis nullum quoque acquirunt per solam remotionem impedimenti.

Ratio posterioris partis patet ex hoc ipso, & ex eo, quod satisfactione sit ablatio offendae, & restitutio amicitiae, seu reconciliatio

cum Deo; haec autem amicitiae cum Deo reconciliatio haberi nequit sine gratia, & charitate; atque adeo cum actus voluntatis, quo legata illa in testamento sunt relicta, jam præterierit, nec amplius idem numero reassumi possit, legata illa præterita in Statu peccati instituta nihil præmii, vel satisfactionis apud Deum obtinent, nisi novus superveniat voluntatis actus gratiae, & charitate informatus, quo de novo instituantur, & dignificantur, ut notat S. Aug. 12. de Civit. Dei c. ult. in illo Joann. 3. facite fructus dignos poenitentiae, afferens, eum, qui animæ suæ non miseretur placens Deo, nihil pro suis peccatis posse dignum illi offerre. Quare cum principium merendi, & satisfaciendi sit gratia, quæ est vitæ initium, sequitur opera illa de se bona relicta ab existente in peccato mortali principio vitæ caruisse, & mortua ab intrinseco fuisse, & ideo nisi novo charitatis actu vivificantur, nihil prodesse ad satisfactionem, ut cum communi docet S. Thom. 3. p. q. 86, a. 6.

Ex modo dictis patet, quoniam fatagendum sit testatoribus, ut sua testamenta, & in eis relicta pia legata in Statu gratiae condere studeant, & siquæ in statu malo instituerunt, eadem in statu gratiae constituti per novum consensum renovent, ac ratificant, ne, quæ alias Sanctè instituere intenderunt,

Bb suo

R. P. Leonardelli Soc. Jesu,

suo valore frustrantur, & fructu  
careant.

Porrò magis expedit divitibus bona, quibus abundant, tempore vitae suæ in pias causas erogare, quām ea in testamento relinquere post mortem distribuenda, ut ex Salviano notat Laym. l. c. tum quia opera pia à vivente præstita majoris sunt apud Deum meriti, & satisfactionis, quām si differantur in tempus mortis, quo tempore homo dat ideo, quia diutius retinere non potest, sed ea deserere compellitur. Tum quia hæredes, & testamentarii pia legata sæpe non integrè, ac fideliter, aut non suo tempore exequuntur.

Ad 3. Q. An legatum uxori 18;  
Berthæ relictum, quamdiu vidua-  
lem vitam servaverit, ipsi debeat-  
ur, si Religionem ingrediatur? Re-  
spondendum est affirmativè  
cum Sanch. l. 7. D. 91. n. 46. Dia-  
na D. 3. q. 17. p. 8. §. 4. Bald. l. Deo  
nobis, C. de Episc. & Cler. Jas. aliquæ  
apud Sanch. Id, quod colligitur ex  
Aust. cui relictam, C. de indic. vi-  
davit. & ratio ulterior est; quia per id spirituale cum Christo ma-  
trimonium minimè cessat vita vi-  
dualis, sed adhuc verè, ac pro-  
priè dicitur illa vitam vidualem  
servare, quin & pleniùs voluntatem  
testatoris adimplere, quæ Re-  
ligionem ingreditur.

## CASUS XXXII.

*De Legatis & solutionibus, cùm pretium rei crescit,  
vel decrescit.*

**C**Rispinus volens Barbaræ famulæ suæ ob multa extraordina-  
ria obsequia sibi præstita legare 50. aureos id famulæ signi-  
ficat, quæ responderet, se fore contentam, si 40. legentur, ta-  
cità secum ipsa cogitans hoc modo velle se 10. aliis aureis sibi  
nunc oblatis satisfacere obligationi furti 10. aureorum à se suc-  
cessivè hero suo ablitorum. Itaque Crispinus 40. aureos Bar-  
baræ legat; paulò pòst in gravem incidens morbum paucos  
intra dies extinguitur. Post mortem Testatoris Barbara Lega-  
tum petit ab hærede, qui eidem 40. aureos enumerat, sed  
quo-